

GRAVISSIMUM  
CHRISTIANÆ FIDEI ET RELIGIONIS  
ARTICULUM

# DE CHRISTO INCARNATO,

Feriis hisce Natalitiis,

*Auditoribus suis,*

quin & quibusvis Christognosicæ Cultoribus,  
piè atque sobriè meditandum  
proponit


M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P. P.

১১১১১ ১১১১১১ ১১১১১ ১১১১১ (২) ১১১১১ ১১১১১ ১১১১১১ ১১১১১

RIGÆ,

E Chalcographeo BESSEMESSERIANO.



I quis Cœlum in terram delabi,  
cumq; ea conglutinari cerneret,  
dubio procul in extremum protin-  
us stuporem raperetur: At mul-  
tò excelsior cœlis CHRISTUS in  
terram descendit, terrenam indu-  
ens naturam, ut omnis proinde

impietatis reus sit, qui vel ad nomen Θεοφανείας hor-  
rore quodam religiosô non commoveatur. Is e-  
nim, qui æterni Patris est unigenitus, ac DEus super  
omnia benedictus in secula, invisibilis cùm esset,  
lucem habitans inaccessam, quam nemo vidit, nec  
videre potest mortalium, conspicuus nunc in carne  
factus, nostris se spectandum oculis, & contrectan-  
dum præbuit manibus. Quod ὁμολογούμενῳ μέγα τῆς  
εὐσεβείας μυστήριον ipsis etiam Angelis, ad quos tamen  
hæc nihil attinebat gratia, tam dulce visum fuit, ut  
introspicere illud percuperent. Quanto igitur mayo-  
ri studiô ac reverentiâ nobis incumbit, in hanc pro-  
fundissimam divinæ sapientiæ & bonitatis abyssum,  
illuminatos fidei oculos immittere, tantamque φι-  
λανθρωπίαν admirari? Nulla quippe major excogitari  
potest caritas, quàm quod DEus generi humano,  
per lapsum à se divulso, non solùm promisit; sed in  
plenitudine quoque temporis Reparatorem, dile-  
ctum suum dedit Filium. Ille carnem nostram in  
ὑποστάσειⓄ suæ unitatem assumendo ad Deum deduxit.

Angelorum equidem, ipsâ creationis lege ac dotibus concessis, humanâ longè præstantior digniorq; erat natura; nihilo tamen minus non eorum, sed semen Abrahæ Filius DEI assumpsit. Neque his, licet in peccatis etiam prolapsis, verùm hominibus, in sublimi isto *οικονομίας* opere, divinitus parata erat medicina. Hinc Clemens Alexandrinus: Quomodo non diligeretur, propter quem unigenitus ex sinu Patris mittitur? Maximum verò hîc justitiæ ac misericordiæ veneramus temperamentum, quod per Filium, genuinam sui imaginem, deperditam in nobis restaurare Deus imaginem voluerit. Ita nempe congruum videbatur, ut, qui in divinitate Patris esset Filius, in humanitate Matris quoque experiretur adfectum. Homo infinitæ satisfacere iræ debebat; sed non poterat: DEUS poterat; sed non debebat. Cœlesti, igitur sapientiâ provisum, ut utrumque geminæ ille substantiæ gigas, CHRISTUS, unus & idem, omnium commodissimè præstaret. Hic, cum stupore totius orbis, ita natus est homo, ut Deus esse haud desierit; ita mansit Deus, ut homo nasci & denasci valuerit. Deus in limum descendit, ut homo limus ascenderet ad Deum. Natus est homo Deus, ut liberaretur homo reus. Atq; hoc per arctissimum divinæ pariter ac humanæ naturæ vinculum, quod Unionem salutamus Personalem, factum est. Hæc ipsa tam abstrusum exhibet my-

steri-

sterium, ut ratio sibi relicta nequaquam in illud incidat, vel si quid fando accipiat, absurdum judicet; hominem dari, qui reverà DEus sit. Sanè quid mirabilius ac sublimius, quàm quod humana CHRISTI natura adeò sit evecta, ut tota Deitatis plenitudo *σωματικῶς* in ea habitet? Viderunt Patres nostri escam Angelicam de cœlo stillantem; viderunt ferrum instar paleæ supernatare, virgam aridam florescere simul & germinare, solemque fixâ sede manentem, imo contra naturam retrorsùm euntem: Verùm enim verò nullâ unquam ætate visum vel auditum est, virginem intemeratam peperisse, Verbum æterni Patris carnem assumisse, Filiumq; Altissimi unigenitum, damnatorum hominum commodo, ex materno utero profiluisse. Timanthes cyclopem in parva depingere tabula studuit, cujus magnitudinem in ingenti exhibuit pollice, juxta Satyros illum metientes, quò de tota corporis mole ac vastitate quicquam cognoscerent. Longè felicior omninò (modò exilia hæc summis conferre fas sit) Sanctissima & individua Trias, in perexigua humanæ carnis tabella, non cyclopem immanem, sed immensum Cœlorum Dominum expressit. Quis hæc capiat, quod caro, ab ortu suo pulvis & terra, in intimum divinitatis consortium admixta, cum Creatore suo in una terminetur persona? Quamobrem huc advocare Logicos licebit, ut,

si possint, nobis dicant, quid sentiant, cum disparata suavissimè coire vident, DEum in tempore æternum nasci, ἀμύθη pati, immortalem mori, omnipotentem in cunis vagire, & nutricis implorare operam. Audiant nunc avidè Poëtæ novum ex æthere cantum, non ad ῥαβδόν Homericum; sed ad pedum Pastoritium aptissimè accommodatum. Neque illum de mirabili fictaque μελαμορφώσῃ, sed de inenarrabili veraque ἐνώσει, nec à Vatribus laureatis; verùm ab Angelis paradisi frondibus coronatis, constructum sciant. Facundò proferant ore Oratores; cur Legatus magni consilij mittatur puer? Cur Verbum dicatur infans? Differant politè Politici, quod Potentissimus, qui alta cœli templa terrifico tumultu concutit, à suis proscribatur subditis, terræ sordibus plurimùm infectis; quod servi Domino denegent hospitium; quod in servorum latibulo, brutorum stabulo, dominantium Dominus nascendi locum vix inveniat. Advolent simul Ethici, εὐδαιμονίαν inter jumenta Bethlehemitica quærant, & invenient ibidem certissimè. Perpendant insuper, quâ proportionè justus culpam luat pœnamq; injusti? Num alios ditaturus esse queat pauperrimus? Calculum quoq; ponant Oeconomi; quomodo Mater sui sit Filij filia, & Filius ancillæ proavi Regis, aliquot retrò seculis numerati, Dominus? Quomodo Pater justè serviat Filio? Quomodo dignior æque

æquè ac prior suo genitore existat proles? Corri-  
gant in posterum Annales suos Historici, siquidem  
natum sub Augusto Cæsare, etiam ante Abrahami  
Patriarchæ tempora fuisse, indubitatis colligitur te-  
stimoniis. Annotent inter ἀξιομνημόνευτα, ab exordio  
mundi occisum fuisse, qui ultimâ demum mundi  
horâ lucem adspexit. Veritatem suorum curiosè  
inquirant thematum Physici; num Virgini absque  
Viro concipere sit integrum? An infinitum capax  
esse possit finiti, & angustis includi terminis utro-  
biq; potenter regnans? Autoremne lucis nocturnis  
involutum credant tenebris? Corpusne universa  
implere loca, januas citra læsionem clausas penetra-  
re, & absq; ulla sui deminutione absumi, sibi per-  
suadeant? Illis per nos se associant Astronomi, ut  
solem nocte surgentem & splendentem animadver-  
tant, atq; stellam, extra omnes ætheris sphæras, mo-  
tusq; cœlestis exemptam legibus, seræ aliquando re-  
ferant posteritati. Nec Geometras ab hocce excludi-  
mus miraculo, quin potius cum prolubio admitti-  
mus, ut, ex suis si haud possint principiis mysterij  
hujus declarare sublimitatem, ingenij humani  
submissè agnoscant lapsum, nobiscum stupentes;  
quod æquale hîc sit inæquale, nec divina inani ra-  
tionis suæ decempedâ insipidè dimetiri velint.  
Quid? quod Arithmetici numerum heic inveni-  
ant, quem haud facilè, quin nullô prorsus mo-  
dô,

dô, in summam norunt contrahere. Quî enim nobis explicabunt, quod unum sit duo, duoque unum? Denique & Metaphysicos cum cunctis suis, quas tantopere jactant, subtilitatibus, ad lancem indubitatae veritatis exigendam adigimus, ut exactè ponderent; formam absolutissimam assumere potuisse materiem, ens omnium entium æternum suum <sup>eternum</sup> in tempore cepisse. Sed quò dilabor? Verbò, quod restat, de Verbo dicam infinito: Obstupescunt meritò cœlum terraque, intremiscunt & commoventur ad inenodabile hoc mysterium DEI humanam induentis carnem. Quocirca concurrite, Cives, concurrite! Sublimiorem non audivistis sapientiam, nec audietis unquam. Tantam divinæ caritatis tesseram, tam incomparabile salutis vestræ beneficium, gratis, ceu decet, devotisque recolite animis! Non Chrysostomos nunc, aurei oris homines, aureos montes, aurea byssinaque verba loquentes; sed Polycarpus, qui fructum aliquem ferant pietatis, Doctores eligite & sequimini. Inter vera cordis jubila, ad Domini cunas, ad congregatum hisce diebus fidelium cœtum, confluite, ac Deum ardentè invocate, ut, quod hodie humanâ induitur carne, Verbum, in omnium Vestrûm animis quoque nascatur. Perscriptum in festo Nativitatis Christi anni jam vergentis clō lōc xxcii.